

- nibus pensatis iudicet; an certum, & evidens sit, quod tale stipendium sit injustum, & sic licita sit occulta compensatio: Difficillimum enim est iudicare, quodnam sit stipendium, seu salarium certo, & evidenter injustum, ob varias circumstantias temporum, & personarum, & consuetudines locorum, quæ possunt compensationem illam occultam reddere licitam. Advertendum enim est, an adsint illi, qui pro tali vilis pretio, seu stipendio parati sint tale servitium præstare? Item advertendum est, an famulus se potius ad inserviendum obtulerit, & dominus sui servitii parum, aut nihil indigerit, & potius in gratiam ejusdem ad servitium receperit. Item advertendum est, an famulus conductus ab initio contractus cesserit Juri suo ad majus stipendium, & se contentum declaravit stipendio convento, quia in his hominibus, & consimilibus casibus, stipendium adhuc esset justum, quamvis solito minus, ut communiter fatentur Doctores. (Conducunt exposita lit. F. pag. 22. col. 2. & pag. 23.)
- ✦ Nisi pactum intercesserit de minori mercede; nam posito hoc pacto, majus stipendium non debetur, ut numer. 33. exprimitur. ✦
- ✦ De compensatione occulta, de qua hic potissimum agit Auctor, meum non est disserere. Consule tamen pro re nata Zamor. de compens. ad utrumque forum pertinent.
- Compensatio profuit ex naturali æquitate primum, deinde ex civili ratione. In hoc naturalis æquitas consistit, quod nostri interest potius non solvere, quam solum repetere, & dolo agit, qui quod est restitutum petit. (Leg. 28. 29. & 30. tit. 14. part. 5.) Civilis ratio in eo versatur, quod lites imminui reipublicæ interest, Mestert. de compensat. quasi. 1. num. 1. & 2.
- Effectum compensatio habet solutionis; leg. 4. cod. de compensat. Quocirca non tantum prior obligatio, sed & omnia ejus accessoria censentur sublata; Stryck. in usu mod. Pand. lib. 16. tit. 2. §. 2. Locumque ex hac ipsa ratione sibi vindicant compensatio in processu executivo, tum etiam post rem judicatam in termino executionis; Stryck. in usu modern. Pand. lib. 16. tit. 2. §. 11. ✦
- Quinimo pinguior compensatio in eo est solutione, quod pupillo solvi nequit sine decreto magistratus; §. ult. institut. quibus alien. licet, vel non licet. (Leg. 4. tit. 14. part. 5. Ad rem, leg. 6. tit. 18. part. 3. §. 11. tit. 1. part. 5. lit. A. pag. 87. colum. 2.) Potest tamen opponi compensatio; leg. 1. §. 4. ff. de compensat. leg. 3. cod. cod. leg. 13. cod. de contr. tutel. action. (L. 21. tit. 14. part. 5.)
- In primis autem, & ante omnia præsupponitur debitum utriusque liquidum. Nota vero, quod ad sistendum cursum usurarum datur etiam compensatio cum credito certo, sed non liquidato in principio, sed ex intervallo; Rota in Roman. Cambii 1. Martii 1728. cor. clar. mem. Calcagnin.
- Alius pro alio non recte compensat; Leg. 18. §. 1. ff. de compensat. (Vide proxim. leg. 21.) Limita tamen, si tertii intersit compensationem talem ex debito ejus fieri.

✦ Multiplices casus assignantur ab Auctore in quibus compensatio fieri nequit; sed inter eos numerati non inveniuntur præter alios, dum aliquis Regi, seu Communitati quidquam fuerit rogatus restituere, tam in testamento, quam quilibet alia ultima voluntate, aut contractu; ingredi enim haud potest compensatio, casu quo Rex, sive Communitas debitores fuerint ejusdem, qui illud restitutus esset (1).

✦ Super hoc assertum nulla occurrit ambiguitas, dummodo per confessionem partis, vel intra decem dies per testes, instrumentave sit apposita, & probata compensatio exceptio: è diverso verò, si intra eodem non probetur (2).

(1) Leg. 16. tit. 14. part. 5. ibi: E aun decimos, que si algun ome estableciere á otro por su heredero, só tal condicion que despues de sus dias aquel heredamiento fincase á la Cámara del Rey, ó al Comun del Concejo, ó le diese maravedis en fielsdad, ó otra cosa cierta que diese á la Cámara del Rey ó al Comun: maguer el Rey ó el Comun le oviesen á dar á el alguna deuda, non puede ser esquitado lo uno por lo otro.

(2) Leg. 20. ejusd. ibi: Pero el Juzgador debe catar primeramente, ante que mando facer este quitamiento, si aquel que quier descontar una deuda por otra, puede luego probar é averiguar lo que dice, ó á lo mas

ri. Quo fit, ut fidejussor opponere valeat compensationem ejus quod debitori debet creditor, etiamsi vel maxime debitor non amplius solvendo sit, & concursus jam excitatus fuerit. Vide & alia exempla apud Stryck. in usu modern. Pand. lib. 16. tit. 2. §. 5.

An cessionario obstat compensatio, quæ obstat cedenti, non est una omnium sententia. Distinguitur communiter, utrum cessio facta sit ex causa onerosa, an ex causa lucrativa, & an cessionarius agat tanquam Procurator in rem suam ex jure cedentis, an vero jure proprio, ita ut cessionario qui ex causa onerosa jus creditoris sibi acquisivit, & actione utili agit, compensatio obijci non possit. At compensationem indistincte obijci cessionario posse, tenent Franzk. lib. 1. resolut. 13. fere per tot. Guid. Pap. dec. 567. Thesaur. dec. 221. Afflic. dec. 84. num. 4. & sequent. Hoc verò certum, si post factam cessionem cedens debere incipiat debitori cesso, compensationem locum non esse, modo debitori cesso facta fuerit cessionis notificatio; Franzk. l. 1. dict. resolut. 14. n. 41. & sequent.

De compensatione vide qui breviter, sed dilucide de ea agit Mestert. de compensat. ✦

## COMPETENTIA PASTORALIS.

✦ Cux circa seculum X. contigerit, ut quibusdam in locis ecclesie parochiales Canoniconum, & Monachorum, collegis incorporarentur, & Canonici ipsi ac Monachi perique adhibita sit se cura illarum parochialium ecclesiarum, eam in Presbyteros, quos Vicarios dixere, transulerint; ordinatum fuit, ne defectu sustentationis, Ministri hujusmodi curam negligerent, ut ex decimis, aliisque proventibus per tales incorporationes ad monasteria, vel similia corpora devolutis, tantum ut minus detraheretur, & eorum possessores dare cogentur, quantum curæ animarum debite exercendæ requireretur.

Hac portio ex decimis, aut illis proventibus ecclesiasticis Ministris ecclesiarum parochialium curam sustentationis subministranda, vocatur communiter Portio congrua, quasi, scilicet, congruus illi cui assignatur, id est, proportionata illius necessitatibus; & venire nomine Competentia pastoralis, apud omnes competum est. Portionem congruam sive competentiam pastorem debere esse talem, quæ Presbyterorum parochialium ecclesiarum curam gerentium, ipsiusque parochie necessitati decenter sufficiat, evincit universa ecclesie decreta.

Porro cum hæc sufficientia à temporum, personarum & locorum diversitate plurimum dependeat, neque generaliter, quid sufficiat, decerni queat, sed ex pluribus factis frequenti mutationi obnoxii judicandum sit; necesse est, ut determinatio portionis congrue sive com-

tarde facta diez dias. E si lo probare asi, ó conoscere el otro la deuda, entonces lo debe mandar, asi como es sobredicho. Mas si entendiere, que lo non podria tan aína probar, porque los testigos son luefie, ó las cartas de la prueba, estonce non le debe otorgar el quitamiento sobredicho, ante debe andar por el pleyto adelante, como el derecho manda. Leg. 2. tit. 25. lib. 4. ibi: Pero es nuestra merced, que el dendor que alegare la tal paga ó excepcion, no la probando dentro de los dichos diez dias en la manera que dicha es, que pague luego al mercader ó al acreedor. Vide verb. Probatio artic. 1.

competentia pastoralis arbitrio Judicis fiat, qui omnibus rite expensis statuat quid hic & nunc sustentationi Presbyterorum & parochie necessitati succurrendæ decenter sufficiat.

In determinatione hujus competentie, observat post Canonistas Joannes Tournet, quod Judex attendere debeat qualitates partium, situm locorum, quantitatem proventuum, amplitudinem parochie, numerum parochianorum, onera ordinaria & extraordinaria, aliasque similes circumstantias; quæ omnia variis Judicum sententiis confirmata videntur.

In quantum portio congrua sive competentia pastoralis desumitur ex decimis intra limites parochie excessentibus, negari nequit, quin de Jure favorabilis dicenda sit hujusmodi assignatio. Ita Wamesius cons. 452. n. 9. cui unanimiter consentiunt Canonistas.

Itaque notat Rebuffus tract. de congrua portione n. 82. quod Judex debeat potius inclinare ad partem congruam Vicariorum, quam ad possessorem decimarum.

Assignationem portionis congrue sive competentie pastoralis esse causam alimentorum, extra dubium est. Porro si in casu alimentorum ex notorio Jure & praxi summarie, & per provisionem sit procedendum, vel magis in hac causa hic procedendi modus servandus erit. Ita Rebuffus eodem tract. num. 54. & tract. de sententia provisionali in præfatione num. 30.

Competentia pastoralis adjudicatur per modum provisionis, si contingat in ejus assignatione oriri aliquam difficultatem.

Competentia pastoralis transactio, vel conventio tolli minime potest, nullo quippe facto effici potest, ut non dentur necessaria alimenta parochie, aliisque in vinea domini laborantibus.

Conventio, sive transactio super competentia, si fiat quandoque declimatorie inter & Vicarios privata auctoritate, successoribus præjudicare nequit, quin ea non obstante majorem competentiam petere queant.

Si vero transactio auctoritate superiorum interveniente legitime inita & firmata fuerit, ea quidem ad successores transibit; sed nequaquam ita ipsos ligabit, quin circumstantiis probabiliter mutatis portionis congrue augmentum petere queant. Ita Rebuffus, qui ulterius monet, quod ille idem Vicarius, qui super portione congrua convenit, possit augmentum ejusdem petere, si notorie appareat illum Vicarium nunc ex illis vivere non posse.

Sicut per transactionem, sive quomcumque conventionem tolli nequit competentia, eo quod necessaria alimentatio loco sit; ita eandem ob causam nec compensatione elidi potest.

Onus assignandi portionem congruam sive competentiam decimis inhæret, & reale est.

Proinde in unionibus seu incorporationibus ecclesiarum parochialium cum decimis ac proventibus ad eas spectantibus, solet adijci hæc similisque clausula: Reservata tamen de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus pro Vicario perpetuo in eis instituendo congrua portio, ex qua idem Vicarius commode sustentari valeat, Jura episcopalia solvere, & alia sibi incumbenda onera supportare. Rebuffus ad regul. Cancell. de unionibus gloss. 11. num. 16.

Portio congrua, sive competentia debet esse sufficiens pro tot Presbyteris, quot ad curam animarum parochie requiruntur.

Proinde ex mente Synodi Tridentinæ nequaquam competentia sufficiens erit, si non sufficiat tot intertentionis Sacerdotibus, quot sufficient ad sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.

Hinc patet Parochum, sive Vicarium perpetuum petere posse augmentum portionis congrue, tametsi hæc quam habet, sibi quidem sufficiat, sed nequaquam sufficiens sit Presbyteris, qui sibi in administrandis sacramentis, & cultu divino celebrando pro multitudine parochianorum, aut latitudine parochie adjungere debet.

Parochus postulans competentiam augmentum, ut plures sibi Presbyteros adjungere queat, hoc unum ostendere debet, quod in ecclesia sibi concreta populus ita numerosus sit, ut nec ipse, nec hi, qui modo adjuncti

sunt, sufficere possint ecclesiasticis sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo, tametsi forsam ejus prædecessores vel soli, vel cum uno alterove adjuncto Presbytero, curam animarum sustinerint.

Si per beneficiorum simplicium unionem ecclesiis parochialibus sufficienter provideri nequeat, vult Synodus Tridentina, sess. 24. cap. 13. de reformatione: Ut primitiarum, aut decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori Episcopo videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut Parochie necessitate decenter sufficiat.

Et quidem quoad primitias atinet, cum hodie non alio quam voluntariarum oblationum loco habeantur, atque inter voluntarias oblationes recenseantur, merito in assignanda competentia pastoralis, earum ante decimas ratio habetur. Neque enim dubium, quin oblationes, & quæ oblationum nomine veniunt, magis proprie ad Parochum, quam decimæ pertineant; ut monet Zypæus l. 3. de consuet. can. consuet. 3. de parochiis num. 14.

Ac propterea si oblationes alteri quam parochio competant, prius ratione harum oblationum ad congruam portionem, sive competentiam is tenetur, quam decimarum possessor, ac prius oblationes parochie vindicandæ; quæ si non sufficiant, tum demum ad decimas recurrendum.

Hoc vero intelligendum est de oblationibus quæ ex solo privilegio, aut præscriptione ad pastores, v. gr. primitivos transierunt, & quæ secluso privilegio, aut præscriptione, & voluntate offerentium, & Jure communi ad parochum spectarent; qualia esse solent ea que in defunctorum inhumationibus offerri, sive donari solent; secus vero de oblationibus, quæ ex voluntate offerentium in alium pium usum offeruntur. Hæ enim nullatenus in parochorum competentiam convertendæ videntur.

Licet omnibus decimis indifferenter onus competentie pastoralis videatur inhætere, atque cum hoc onere ad suos transiisse possessores; tamen indubitatum est, quod & inter decimas nonnullæ sint, quæ specialiori titulo præ reliquis huic oneri sunt subjectæ, eo quod propriæ, & specialius ad parochos pertineant.

Hac ratione decimæ novalis, ceteris paribus, prius parochio addicendæ sunt, & ad competentiam possessoribus exutiendæ, quia propriæ parochorum sunt, ac difficilium quam veteres decimæ à parochio ad alios transferuntur. Ita Zypæus loc. cit. cons. 3. de parochiis n. 5.

Quoad decimas non novalis seu veteres, ante alias competentie, seu congrue portioni obnoxie sunt, quæ ultimo loco ab ecclesia parochiali decise.

Hinc inter decimarum possessores ante reliquos ad competentiam ordinariè tenentur hi, qui dicuntur primitivi pastores, qui solent possidere ipsas ecclesias parochiales incorporatas cum decimis, & proventibus sub expressa conditione assignandi Vicario congruam portionem, si ipsi per se curam earum ecclesiarum non habeant.

Præterea de Jure communi in Clement. 1. de Jure patronatus: Diocesanis sub obestatione divini judicii districte inhibetur, ne presentatum aliquem per quamcumque personam ecclesiasticam Jus presentandi ad ecclesiam aliquam habentem admittant; nisi intra certum terminum competentem, per diocesanos ipsos presentantibus presfigendum, ipsi presentatum fuerit coram eis congrua de proventibus ecclesie portio assignata: quam si tunc presentantes intra terminum ipsum assignare neglexerint, ne factum eorum noceat presentato, statuitur ut ex tunc diocesanis debeant presentatum (nisi aliud canonicum obstat) admittere, & in penam presentantium, ad diocesanos ipsos potestas assignationis hujusmodi devolvatur.

Cum Episcopo incumbat providere, ut ecclesiis parochialibus de sufficientibus, & idoneis ministris provideatur; immo & ipsis injungat Synodus Tridentina, ut per beneficiorum unionem, aut primitiarum, vel decimarum assignationem, aut qua commodiori vel videtur ratione curet, ut tantum redigatur, quod pro Rectoris ac parochie necessitate decenter sufficiat, dubitari nequit, quin Episcopi sit, omni modo adlaborare, ut competentia assignetur non tantum ipsi parochio, sed etiam tot presbyteris, quot necessarii sunt, ut parochie neces-

sitati decenter satisfiat, & cura animarum laudabiliter exercentur.

31 Immo ad competentiam agere possunt & ipsi parochiani: Quia sua interest, inquit Zypæus loc. cit. consulti. 6. num. 2. bonum habere pastorem, eumque commo- dius sint temper inventuri, si dõs detur liberalis.

32 Omnia que Jure suo ecclesia habet, computanda esse pro competentiâ pastorali, affirmat Rebuffus in tract. de congrua portione quest. 11. Non vero ea alta, quæ non habet ratione sui Beneficii, seu Vicariæ.

33 Hinc tamquam consequens inferitur, non computari pro congrua portione, siye competentiâ, anniversaria, & quod habet Vicarius pro missis laicorum legato in ecclesiis fundatis per alios, quàm per fundatores; ea enim sancitum est; leg. Scimus, §. Repletionem, cod. de inof- fici. testam. ut Vicarius quasi Jure adventitio lucratur.

34 Cum oblationes dependant à mera, & voluntaria fi- delium devotione, neque ulla quoad eas coactio fidelibus imponi soleat, eas ab imputatione in competentiam existi- mandas esse ratio ipsa suadet; ita Rebuffus in prædicto tract. num. 68. & ratio est, quia si portio congrua, siye competentia non è certis aliquibus fructibus, ac proven- tibus, sed inconstantissimis, & continue reciprocantibus oblationibus comparanda esset, vita parochorum even- tualis futura videretur, vel dicta portio, seu competen- tia pro temporum vicissitudinibus, & majori, vel mino- ri parochianorum liberalitate indesinenter pingenda es- set ac repigenda, formanda, ac reformanda; quod pasto- res ad angustias miserè conditionis detruderet.

35 Sive Jus commune, siye Concilium Tridentinum spectemus, cognitionem, & determinationem portionis congruæ, siye competentis, ad Ordinarium loci spectare, idque etiam contra exemptos, patet ex cap. 1. de præben- dit in 6. Clement. 1. de Jure patronat. Concil. Trident. sess. 7. cap. 7. & sess. 24. cap. 13. de reform.

36 Verum cum moribus quarundam provinciarum obti- neat, quod Episcopi de possessorio decimarum non cognos- cant, ideoque nec per provisionem, possessionem ad- judicare queant; hinc fit, ut quæstio super congrua por- tione, seu competentiâ hodie passim ad Judices regio- devolvatur; ut hi saltem per provisionem congruam por- tionem assignent. Et hanc consuetudinem passim invalui- se apud omnes nationes, quotidiana, & notissima praxis manifeste ostendit (Vid. lit. D, pag. 73. ibique Reg. Ord. circuli, cum omnibus, verb. Decimæ: insertis.)\*\*\*

COMPLEX PECCATI

SUMMARIUM.

- 1 CONFESSARIUS, ac Sacerdotes quicumque, siye seculares, siye regulares, nequeunt absolvere suos complices in peccato contra sextum decalogi præceptum, nisi in articulo mortis, & tunc solum in defectu alterius Confessarii.
- 2 Confessarii extra dictum mortis articulum illos absolventes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.
- 3 Et tales confessiones sunt invalide, irritæ, ac nullius valoris.
- 4 An Confessarii nequeant etiam, absolvere suos complices in quocumque alio peccato mortali, non carnali.
- 5 Complex ordinariæ Confessario manifestari non potest, potest tamen Confessarius interrogare necessaria ad confessionem, quomodo per accidens veni- ret in notitiam complices.
- 6 Potest autem penitens nominare complicem, si nec apud alium Confessarium, nec aliter possit integre confiteri.
- 7 Confessarius cogere potest penitentem ad peccatum complices, vel cujuscumque alterius manifestan- dum illi, ad quem spectat scire, & emendare, vel cavere periculum relapsus, aut alienæ seductio-

- nis, seu propriæ gravis damnificationis.
- 8 Non expedit tamen ordinariæ complicem moneri per Confessarium; quod si aliter fieri non possit, expedit illum à penitente manifestari extra confessionem.
  - 9 Si complex absque necessitate manifestet peccatum complices Confessario, illud probabilius est materia sigilli.
  - 10 Complex an, & quando teneatur, & possit fateri, seu revelari complicem, ad num. 12.
  - 13 Ad id attendenda est novissima constitutio Benedic- ti XIV. ad num. 18.
  - 19 Alia ad rem remissive.
  - 20 Subnectuntur supplementa Auctoris, ad num. 27.
  - 28 Alia ad rem, remissive.

CONFESSARIUS, ac Sacerdotes quicumque, siye seculares, siye regulares nequeunt absolvere suos complices in peccato contra sextum decalogi præceptum, nisi in articulo mortis, & tunc solum in defectu alterius Confessarii; sic novissima statuit Benedictus XIV. feliciter regnans, consi- tit. incip. Sacramentum Penitentis: Confessarii extra dictum mortis articulum audientes illos absolvere incur- runt excommunicationem Papæ reservatam; idem ibid. Et tales confessiones sunt invalide, irritæ, ac nullius valoris; idem ibid. (Vid. verb. Regulares, art. 2.)

¶ Vide aliam constitutionis ejusdem Pontificis cita- tæ declaratoriam, que edita fuit 4. Februarii 1745.

An Confessarii nequeant etiam absolvere suos com- plices in quocumque alio peccato mortali, non carnali: attendendæ sunt peccatorum constitutiones cujuscumque diocesis, & provincie. In provincia Mediolanensi, Con- cil. Provinc. VII. tit. de sacrament. Penitent. verò. Qui criminis alicujus: expresse prohibetur, ne Confessarius socius, aut participes aliquis criminis, seu culpe mortalis, complicem audiat in confessione; ibi: Interdictum sciat sibi munus audiendi confessiones illorum quos socios &c. qui concordat Mediolanensis diocesis Synodus undecimo titulo Monita executionis. decretorum, que ad sacramentalia, verò. Confessario: ubi non solum adimitur Confessario facultas, & jurisdictioni absolvendi suos complices in peccato mortali, sed insuper, si eos audiat, vel absolvat, subditur excommunicationi Episcopo reser- vate; sic etiam in hac Alexand. diocesi. Syn. celebrata anno 1732. tit. de sacram. penitent. in fine expresse habetur: Tandem monemus parochos omnes, & Confessa- rium quolibet, ademptam eis esse facultatem absolven- di complices in quocumque peccato mortali. Quod valde expedit ubique decerni, ac observari, cum in similibus confessionibus factis Confessario complices soleat defecere penitentium verecundia, pudor, dolor, ac propositum, immo ex ipsis sumant occasionem liberius peccandi; sic recte Bonacina de sacramento Penitentis disp. 5. ques- tiunc. 7. punct. 5. §. 5. num. 11. expresse concludens, non posse Confessarios absolvere suos complices in quo- cumque peccato mortali, etiam non carnali, quia in cit. Concil. Provinciali VII. & Synodo diocesis XI. Me- diolanensi, ut etiam in cit. Alexand. diocesi. Synodo an- no 1732. habentur verba generalia comprehendentia omnia peccata mortalia, nec distinguuntur inter mortalia carnalia, & non carnalia: Verba autem generalia gene- raliter sunt intelligenda, & ubi lex non distinguit, ne- que nos distinguere debemus; c. Quia circa 22. de pri- vileg. leg. De pretio 8. ff. de Publiciana in rem actio- nem. Non distinguemus 52. ff. de receptis arbit. leg. Præ- ses 3. ff. de offic. Præsidis.

Quamvis complex ordinariæ Confessario manifestari non possit, ut tradunt Doctores communiter; ex quo sit naturale præceptum servandi famam proximi; potest ta- men Confessarius interrogare necessaria ad confessionem, v. gr. an penitens sit in occasione proxima, licet ita ven- turus sit in cognitionem complices: Per accidens enim est, quod hujus peccatum etiam manifestetur; Stephanus tract. 5. dec. 5. num. 5. p. 162. La Croix lib. 6. part. 2. num. 1144. & alii passim.

Potest autem penitens manifestare complicem Con- fessario, si nec apud alium Confessarium, nec aliter pos-

sit integre confiteri, ut docent S. Thomas, S. Bonaven- tura, S. Antoninus, Suarez, Vasquez, Lugo, alique 20. gravissimi Auctores apud Joann. Sanchez, n. 9. & tra- dimus nos sub verb. Penitentis Sacramentum art. 2. n. 89. & 90. docendo cum Scoto, S. Bernardo ac pluri- mis aliis ibi citatis, non excusare ab integritate materia- li confessionis infamiam propriam, aut complices apud solum Confessarium. Vide ibi.

7 Confessarius cogere potest penitentem ad peccatum complices, vel cujuscumque alterius manifestandum illi, ad quem spectat scire, & emendare, vel cavere pericu- lum relapsus, aut alienæ seductionis, vel propriæ gra- vis damnificationis. Sic Doctores communiter cum Lugo de sacramento penitentis disp. 16. à n. 431. La Croix l. 6. part. 2. num. 1144. Cum enim quisque teneatur, quantum potest, gravia mala republice, aut proximi impedit, nec possit penitens in tali casu, ut supponit, aliter impeditre talia gravia mala, nisi manifestan- do complicem, ad id teneatur.

8 Quod si talia gravia mala, & damna timeantur à complice, & penitens non possit ea impeditre, sed so- lus Confessarius, teneatur manifestare Confessario com- plicem, quod expedit fieri extra confessionem, ne red- datur apud complicem, aut alios odiosa confessio. Unde recte Mendus disp. 10. quest. 95. num. 116. Lugo loc. cit. num. 435. La Croix loc. cit. num. 1144. 1752. & 1918. & alii passim, merito docent non debere Con- fessarium per se corripere, seu manifestare complicem ex licentia penitentis. Et si non possit id fieri per alium, expedit ut potius petat à penitente, ut extra confessio- nem de hoc sibi loquatur.

9 Si complex absque necessitate manifestet peccatum complices Confessario in confessione, illud probabilius est materia Sigilli. Mend. disp. 10. n. 120. & 140. La Croix loc. cit. n. 1949. cum Suarez, & Aversa ibi allegatis, & aliis. Et ratio est, quia illud peccatum complices mani- festandum est Confessario ex intrinseca occasione con- fessionis & tamquam aliquid ad eam aliquantulum perti- nens; tum quia fieri potest, ut occasione revelati pec- cati complices possit veniri in notitiam peccati peniten- tis, adeoque Confessarius teneatur ad illius Sigillum.

10 Complex delicti non teneatur, nec jure potest reve- lare complicem, si omnino occultus sit, nec aliis iudiciis, aut testimoniis convinci possit. P. Navarr. l. 2. cap. 4. n. 173. l. 3. de justitia tract. 6. c. 5. n. 8. Lessius l. 2. cap. ult. dub. 15. Busemb. citatus, & secutus à La Croix l. 4. n. 1521. in fin. Si tamen vi tormentorum coactus complicem revelet, ordinariæ non peccabit. La Croix cum Busemb. loc. cit. cum aliis allegatis. Si autem cri- men sit exceptum, videlicet in publicam perniciem tendens, ut hæresis, proditio, falsatio monetæ, beneficium, latrocinium, teneatur complicem etiam non rogatus reve- lare. Layman loc. cit. vers. Nisi crimen: Reiffenstuel de conf. malef. memb. 2. in primo. La Croix cum Busemb. loc. cit. n. 1521. in fine, ubi addunt, quod si nolit reve- lare secundum Navarr. non sit absolvens.

13 Complices, seu socii criminis à penitentibus revela- ri non debent. Benedictus XIV. tom. 1. constit. 134. in- cip. Suprema: neque ad revelanda complicum nomina penitentes obligari possunt à Confessariis denegata ab- solutione, sub gravissimis penis, ut patet ex altera consti- tutione ejusd. Pontificis incip. Ubi primum: in qua confir- mat priorem illam incip. Suprema: adversus Confessa- rios requirentes à penitentibus in sacramentali confes- sione complicum nomina, & merito reprobat, ac damnat tamquam scandalosam, & perniciosam, ac tam famæ proximorum, quàm ipsi etiam Sacramento injurias, tendentemque ad Sacrosancti Sigilli Sacramentalis viola- tionem, atque ab ejusdem Penitentis Sacramenti tan- topere proficuo, & necessario usu fideles alienantem, nuper in regnis Portugallie, & Algarbiorum introduci ceptam praxim exquirendi in sacramentali confessione à penitentibus socios criminum habentibus, ipsorum sociorum nomina, & habitacionis locum, ipsisque denegando, nisi revelet, sacramentalem absolutionem.

Ad quam tam detestabilem praxim eliminandam, sol- licitam mandat Ordinarius omnibus vigilantiam, tam

contra Confessarios omnes, siye seculares, siye regula- res, quàm contra quoscumque alios cujusvis status, gra- dus, conditionis, dignitatis, & ordinis etiam specialis, & individua mentione, & expressione dignos, qui ausi fuerint impostere docere, licitam esse hujusmodi praxim, vel scribere, aut loqui in ejusdem damnate praxi- defensionem, vel ea, quæ in dicto Brevi incip. Supre- ma, contra eandem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alios sensus temere detorquere, seu interpretari, ipsosque omnes sic temere audentes declarat incidere ipso facto in excommunicationem à qua præterquam in articulo mortis, à nemine præterquam à Romano Pon- tifice pro tempore existente, possint absolvi; dictosque Confessarios ut supra, delinquentes, statuit suspensio- nis ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus penis fore insuper subjiciendos.

Præterea decernit, quod contra docentes, & defen- dentes licitam esse talem exitialem, & damnatam praxim, vel ejusdem reprobationem impugnantes, aut per- verse interpretantes, procedatur in officio S. Inquisiti- onis, non minus ac contra illos procedi solet, qui asse- runt, tradunt, ac teneant opiniones scandalosas, per- niciosas, & uti tales à Sede Apostolica rejectas, & con- demnatas, sicut ipsi omnes severissime puniantur. Simi- liter in eodem S. Officio procedi mandat contra Con- fessarios quoscumque, ut supra delinquentes, ac de no- mine complices penitentem interrogantes, eidemque po- nitenti, nisi illud sibi manifestaverit, absolutionem de- negantes; dummodo tamen ex circumstantiis de adhe- sione ad prædictam damnatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate tales Confessarii suspecti reddantur; & si ut supra culpabiles reperti fuerint, pro criminum qualitate, & circumstan- tiis, suspensio- nis ab officio, confessiones audiendi, vel etiam ab executione ordinum, privationis beneficiorum, dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & passivæ, si regulares fuerint, aliisque penis mulctentur.

Insuper mandat, quod quicumque aliquem uno ex prædictis modis deliquisse cognoverint, eum intra ter- minum dierum in edictis S. Officii præfixi solitum, eidem S. Officio denunciare teneantur, alioquin penas non denuntiantibus per eadem edicta infingi consuetas incur- rant. Ab hoc autem onere denunciandi jus de causis eximit penitentem in causa propria, id est, in casu, quo à Confessario adigitur ad sibi manifestandum nomen complices in eodem peccato; relicto tamen et onere dic- tum Confessarium denunciandi, si aliunde, quàm ex propria, ut dictum est, confessione, noverit ipsum alio- quo ex superius numeratis, & S. Officio denunciandi modis deliquisse.

Quod si Confessarius penitentem de complices no- mine perperam interrogans, absolutionemque ei, si ni- sibi detegatur, denegans, de prava credulitate, vel de mala adhesionem ad supradictam damnatam praxim, tam- quam ad licitam, ex circumstantiis suspectus non reddat- tur, tum istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque S. Officii cognitioni subiectum esse declar- rat; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Con- fessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas penas pro delicti mo- do animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cujus- que diocesi mandat omnino spectare.

Cum autem prædictas suas apostolicas literas, utpo- te ad Lusitanie regnorum, atque ditiorum opportunita- tem accommodatas, & pro eisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, & legis vim, auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negatur, ipse Summus Pontifex Bened. XIV. non ignorans etiam alibi irrepsis- se dictam perniciosissimam praxim; alia sua provida constituit. incip. Ad etradicandam, edit. 28. Septembr. 1746. sic expresse declarat: Ideo Nos motu proprio, atque ex certa scientia hujus nostre generalis sanctio- nis tenore, ac de apostolicæ potestatis nostre plenitu- dine, easdem præinsertas literas iterum confirmantes, & roborantes, decernimus, & declaramus memoratam praxim in se ipsa, & ubique locorum, ac temporum

apostolica auctoritate reprobata, atque damnata esse, & censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in praefato nostro Brevis contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub penis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica reprobatae, & condemnatae, & respective adversus contravenientes mandatis apostolicis, & ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque praescriptis.

Alla ad rem vide *verb.* Moniales *art.* 1. *num.* 18. *verb.* Pœnitentiæ Sacramentum *n.* 89. & 90.

20 \* Complices, seu Socii criminis à pœnitentibus revelari non debent; *Benedict.* XIV. *tom.* 1. *constit.* 134. *incip.* Suprema. Complicum nomina à pœnitentibus exquiri, denegando absolutionem, prohibetur; *idem tom.* 2. *constit.* 8. *incip.* Ubi primum; vide supra *n.* 13. ubi omnia ad rem.

21 Quid de Confessariis absolventibus suos complices, in delicto carnis, & de talibus confessionibus; vide supra à *num.* 1. ad 3. & infra *verb.* Confessarius.

22 Hic juvat adducere, utpote scitu summe necessariam, declarationem super constitutione, quæ incipit: Sacramentum Pœnitentiæ, ab eodem *Benedicto XIV.* editam *tom.* 1. *constit.* 120. *incip.* Apostolici muneris, ibi:

23 "Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo & assiduis hortationibus, & justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab ecclesiasticis quibusque Ministris Sancta sanctæ tractentur, quantum cum Domino possimus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinisteris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communitate, ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

24 §. I. "Sane cum Nos, alias per quamdam nostram constitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ* anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kalendis Junii Pontificatus nostri anno primo editam, omnibus, & singulis Sacerdotibus tam secularibus, quam regularibus, interdixerimus, & prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extreme necessitatis, nimirum in ipsis mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commissio excipere audeat; ita ut absolutio, si quam impetiverit, nulla, atque irrita omnino esset, tamquam impetrata à Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem constitutionis adempta, privatus existere, & alias prout in memorata constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum non subinde super ea dictæ constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque iudicio relinquendam minime existimamus, ne Lex in certis conjecturis, & opinionibus facta, in sensus à mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueret, atque enervetur.

25 §. II. "Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possimus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestate plenitudine, memoratam constitutionem nostram, cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussa observari præcipimus, & mandamus. Præterea habita super his cum Venerabili Fratris Nostri Vincentio Episcopo Prænestino Sanctæ R. E. Cardinali Petri nuncupato Pœnitentiario Nostro Majo-

ri, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpendunt, deliberatione, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus. eadem constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem consentientem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritum absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Con-

26 §. III. "Porro, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerit, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutionem in dicto articulo personæ confessionem vocari, ut accedere, sine gravi aliqua exortura infamia vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu, non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem penitentis ab eo quoque criminis impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram constitutionem inobedientiæ, latissimè in ea penis obnoxium, si prædicta infamia, aut scandali pericula sibi ulro ipse configat, ubi non sunt: immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel remove, opportunitate adhibitis mediis, unde fiat ut alteri cuius Sacerdoti illocus pateat illius confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ constitutionis declaramus, & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, & præcipimus.

27 §. IV. "Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingrederit, aut ubi infamia, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum naverendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicitis, exequit in articulo, ut præferitur, constituta sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, presumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte penitentis dispositiones à Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint, non intendimus enim, pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: Nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta constitutione, majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reservatam, incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præfata nostra constitutione volumus non obstantibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

28 §. V. "Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillis personarum in ecclesiastica dignitate constitutarum, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, nisi forent exhibitæ, vel ostensæ.

"Datum Rome apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die 8. Febr. MDCCXLV. Pontificatus nostri anno quinto." = *D. Cardinalis Passionis.*

Alla ad rem, vide *verb.* Moniales *art.* 1. *n.* 18. *verb.* Pœnitentiæ Sacramentum *n.* 89. 90. & infra *verb.* Confessarius *art.* 4. *n.* 22. ad 28.

COMPOSITIO SUPER LEGATIS relictiis Fratribus Minoribus.

Vide *verb.* Legatum à *num.* 97. ad 100.

COMPOSITIO DEBITORUM cum creditoribus.

Vide *verb.* Restitutio *art.* 5. à *num.* 30. ad 35. & à *num.* 41. ad 59.

COMPROMISSUM quoad arbitros.

Vide *verb.* Arbitr per 101.

COMPROMISSUM quoad electionem.

Vide *verb.* Electio *art.* 1. à *num.* 24. ad 31.

CONCILIIUM. ARTICULUS I.

De his quæ concernunt Concilium ut sic, & Concilium Generale.

SUMMARIUM.

- 1 Concilium unde sit dictum, ecclesiasticum vero quod duplex, ad n. 6.
- 7 Ad quem spectet Concilii Generalis convocatio, ad num. 21.
- 22 In casu schismatis an possint unquam Cardinales Concilium Generale convocare, ad num. 26.
- 27 Quinam de jure vocandi sint ad Concilium Generale, ad num. 29.
- 30 Quinam autem ex privilegio, ad num. 32.
- 33 An Principes suffragium decursum in Conciliis Generalibus habeant, ad num. 44.
- 45 Quinam jus presidenti auctoritative competat in Conciliis Generalibus, ad num. 47.
- 48 Non una tantum datur Conciliorum Generalium presidentia, ad num. 54.
- 55 Quinam competat jus confirmandi auctoritative Concilia Generalia, ad num. 60.
- 61 Quotuplex sit confirmationis ratio, qualis, & ad quem unaqueque pertineat, ad num. 65.
- 66 Agitur de Conciliorum Generalium infallibilitate, ad num. 73.
- 74 Quot sint, & quæ Concilia Generalia ab ecclesia totaliter approbata, ad num. 75.
- 76 Utrum Generale Concilium sit supra Papam; ac possit ab illius definitione ad hujus auctoritatem provocari, ad num. 87.
- 88 Additiones ex aliena manu, ad num. 92.
- 93 Add. noviss. ad num. 111.

1 CONCILIIUM dicitur à *Con*, & *cilium*, quia ibi omnes congregantur, ut conveniant, sicut cilia oculorum, dum clauduntur, conveniunt, secundum Hug. & Archid. in cap. Canonum num. 1. dist. 15. & Fagnan. in cap. Ex part. 2. de Capellis Monachorum. num. 10. Unde in cit. cap. Canonum 1. dist. 15. sic expresse dicitur: "Cilia enim oculorum sunt; unde qui sibi met dissentiant, non videntur Concilium, quia non consentiunt in unum..."

"Concilii vero nomen, dicitur ipsemet Canon, tractum est ex more Romano; tempore enim, quo causæ agebantur, conveniebant omnes in unum, communique intentione tractabant; unde Concilium à communi intentione dictum quasi consilium; quasi consilium dicitur in leg. liberam consentiente." Sic, ut observat Silvester *verb.* Concilium num. 1. à societate multorum in unum conceditum appellatur. Concilium igitur, quod Græci Synodum appellant, quantum ad nostrum propositum sumitur pro coetu, seu pro conventu Sacerdotum, maxime Episcoporum, pro resolvendis rebus fidei, seu aliis gravius ecclesiæ negotiis, à legitimo Superiore congregatorum. Et Concilium sic appellatum est triplex, scilicet generale, provinciale, & episcopale. Concilium generale, seu œcumenicum est illud, ad quod à Summo Pontifice convocantur omnes Episcopi totius orbis; ut singuli competenter conveniant, nisi canonico impedimento fuerint præditi; cap. Placuit dist. 18. & cap. Ego 4. de iurisdictione. Concilium provinciale est illud, quod congregatur ex Suffraganeis certæ provincie auctoritate Metropolitanæ ad definiendas causas spirituales illius provincie, quæ non sunt ex majoribus, Summoque Pontifici reservatis; & nomine Concilii provincialis venit etiam Concilium nationis, in quo videlicet omnes Archiepiscopi, & Episcopi certæ nationis sub uno Primato, vel Patriarcha conveniunt. Concilium episcopale (seu synodus diocesana) est illud, quod habet idem motum, & finem; ac provinciale, congregatur auctoritate Episcopi diocesani.

Concilium generale absque auctoritate Romani Pontificis celebrari non potest; cap. Synodum 1. cap. Regula 2. & cap. Multis 5. dist. 17. cum similibus; & constituit Pelagii II. *incip.* Manifesto, ibi: *Generalem Synodum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari privilegio est tradita.* Constituit Leonis IX. *incip.* Cum ex eo: ibi: *Nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari.* Constituit Pii II. *incip.* In minoribus: ibi: *Inter Concilia nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod itante Romano indubitate Præfule, absque ipsius auctoritate conveniret; quia non est corpus ecclesiæ sine capite; & omnis ex capite defluit in membra potestas.* Constituit Leonis X. *incip.* Pastor æternus: ibi in Conc. Lateran. *sess.* 11. *r.* 4. *Conc.* part. 2. pag. 120. ibi: "Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indictionum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere nedum ex sacre scripture testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Pontificum prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat;" & ibi Pontifex aliqua talia Concilia recenset. Unde Concilium non dicitur, sed Conciliabulum, seu Conventiculum, quod sine auctoritate Romani Pontificis celebratur; cap. Multis dist. 17. ubi ex Pelagio II. scribente ad Episcopos, qui conveniant ad Concilium universale à Joanne Patriarcha Constantinopolitano temere convocatum, sic habetur: "Multis apostolicis, & canonicis; atque ecclesiasticis instrumitur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilium celebrari. Quapropter recte non Concilium, sed vestrum conventiculum, vel conciliabulum cassatur, & quicquid in eo actum est, irritum habetur & vacuum." Et hoc adeo verum est, ut etiamsi ab initio Concilium fuerit auctoritate apostolica congregatum, tamen si postea per Romanum Pontificem dissolutum, aut aliò translatum fuerit, ex tempore remaneat acephalum, & schismaticum, nec sit amplius Concilium, sed conciliabulum; cap. Clericus 24. *quæst.* 3. & cap. Submititur d. 21. ibi: *Alia quæ acephalum liquet esse Concilium.* Et fuit definitum in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 11. *tom.* 4. *concl.* part. 1. pag. 120. col. 2.

Hinc tamquam conventicula, & conciliabula fuerunt semper reprobata Concilia, quæ vel non à Summo